DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VITÆ HUMANÆ GRADIBUS.

Auctore T. J. BRYANTON.

QUID velit *identitas* hominis, inter Metaphyſicos diu et multum diſputatum fuit; nec mirum, cum animi indolem et dotes, corporiſque fabricam mutationes inſignes a partu ad ultimam uſque ſenectutem aſſidue ſubire ſpectemus; quapropter jure obſervatum fuit, nil magis diverſum eſſe quam hominem quemque ſibi.

Varietates quæ animo incidere vitæ decurſu obſervantur, moreſque ætati cuique proprios, ſcriptoris Ethici ac Scenici eſt notare; et profecto quanto ingenii acumine Horatius, et quam concinne et ornate hominum naturæ peritiſſimus iſte Poeta SHAKSPEARE, depinxerunt eas, nemini ignotum. His, igitur, utpote ad meum ſtudium parum attinentibus, prætermiſſis, mutationes quæ in corpore tantum gradatim et ordine progrediuntur, in opuſculo ſequenti monſtrare juvabit; et quædam de morbis, quibus ætates ſingulæ potiſſimum ſunt opportunæ, ac de præſidiis in eos firmiſſimis, ſubjicere.

Particulæ corpus humanum conflantes, revera non manent eædem per temporis ſpatium quantulumcunque; aliæ enim aliis continuo ſuccedunt, ita ut novies vel decies longa decurrente vita corporis materiem redintegrari, vero haud abſimile videtur. Hoc autem minus intereſt inveſtigare, ideoque rationes tantummodo novas partium, atque effectus ab iis oriundos, indagare ſtatui.

Ad

Ad hoc abſolvendum, vitam in certa ſtadia, quantum fieri poſſit, diducere, perſpicuitati haud parum inſerviet. Eorum vero numerum, æque ac limites, authoribus diverſis varie placuit determinare. Quibuſdam vitam humanam in ſeptem dividere ſtadia libuit, alii quatuor, alii rurſus tria eſſe voluerunt: Juris-periti duo tantum agnoſcunt. Mihi ab omnibus iis diſſentire contigit, in ſex enim gradus ætatis dividere, optimum fore videtur; Infantiam, nempe, Pueritiam, Adoleſcentiam, Vigorem Ætatis, Senectutem Viridem, atque Senectutem extremam.

Primum horum vitæ portionem a natu ad dentitionem ſecundam complectitur; proximum exinde ad pubertatem excurrit; tertium anno quinto et vigeſimo in maribus, paulo forſan maturius in fœminis terminatur; quartum ex annis viginti ſequentibus conflatur; luſtrum duodecimum in viris, decimum in fœminis, quintum claudit; vitæ quod reſtat conficit ſextum.

Hæc autem ſtadia exquiſite diſcerni minime vellem prædicare, quia cujuſque initium calci tam

preſſe inſtat antecedentis, ut vix vel mente poſſit diſtingui. Præterea, citius aut ſerius in hominibus diverſis finiuntur ſingula, pro corporis habitu congenito, vitæ victuſque genere, animi indole, rebus proſpere vel adverſe cedentibus.

Sic qui, firma conſtitutione corporis præditus, frugi gnavique fungitur officio, qui bona valetudine utitur, quem animus non deficit æquus et hilaris, cujus denique cæptis omnibus aſpirat fortuna, is demum longioribus ſtadiis fruetur. Harum idcirco diverſitatum e natura vel arte provenientium ratione habita, multa cum licentia vitæ qualemcunque diſtributionem admittere decet.

STADIUM PRIMUM.

Infans jam natus, a ſeipſo in utero degente pluribus in rebus diſcrepat. Prius enim, liquore tepido blando circumfuſus, calorem et nutrimen a matre quodam modo ducebat: nunc miſſa inertia, labores ſuſcipere, et cum rebus novis, variiſque luctari cogitur. Aeri ſtimulanti, et quantum ad

ſe

ſe ſpectat, frigido objicitur. Spiritum, igitur, inhalando et exhalando ſanguinem parare, riteque conſervare, calorem quoque magis abunde quam antea reddere, fit neceſſe. Vis nova oxygenis, per pulmones admiſſa, ei dat copiam hæc efficiendi. Ad has mutationes probe intelligendas, prius quærere oportebit quænam fætui ſunt propria; et quoniam hoc a propoſito nonnihil abducet, quam pauciſſimis abſolvam.

Sanguis per venam umbilicalem rite præparatus et defæcatus a placenta ad fætum revertitur, et ad auriculam cordis dextram, partim per hepar, partim per ſinum venoſum, pervenit; unde pars ejus in auriculam lævam per foramen ovale properat, et hinc per ſiniſtrum ventriculum in aortam effunditur. Reliqua pars ventriculum perfluit dextrum, et ſimul ac arteriam pulmonalem attigit, rivos ſe findit in duos; quorum major cor lævum arterioſo prætervehitur ductu, ut brevius in aortam effundatur; minor alluit pulmones, et vena pulmonali excedens, cor intrat ſiniſtrum, et ſic deinceps per ſyſtema totum aorticum reliquo immiſtus propellitur.

Pulmones ob aeris inopiam collapſi manent, ita ut ſanguinis pauxillum tantum tranſire ſinunt.

Nutriminis aliquid per os aſſumere fætum, nondum eſt ſatis compertum ; nec eſt revera cur credamus.

Hæc omnia, ſtatim poſt partum, mutari incipiunt. Panditur et ampliatur cavum thoracis, ipſius niſu infantis, ſive quaſi quodam appetitu impulſi, ſive oppreſſi et incitati præ ſanguinis exitu ſolito per umbilicum denegato, ſive vagiendi conatu ob aerem irritantem corpori tenero inſueto admotum; quævis demum cunque niſus ſit cauſa, irruit per glottidem aer, ne ſpatium vacuum exiſtat. Hinc, ſanguinis copia major per ramos arteriæ pulmonalis admittitur, et temporis poſt aliquod, in eam ſeſe penitus cor dextrum exonerat : unde in auriculam ſiniſtram per venas rediens pulmonales, protinus per iter ſolitum tranſit in aortam.

Hinc eſt videre, quo viæ priſtinæ modo gradatim imperviæ redduntur : ſanguis enim exitum promptiorem ex arteria pulmonali in pulmones, quam in canalem arterioſum, utpote oblique ſitum

et

et arctiorem, adeptus, posteriorem deserit. Quinetiam aorta, ob arterias collapsas umbilicales, infra canalem antedictum distensa; et sanguinis ob copiam novam illi e ventriculo sinistro influentem, supra canalem tumefacta, sanguinis ex eo egressui obstat, viamque coàgulo finit obturari. Porro, sanguis jam plenius in auriculam sinistram e pulmonibus infusus, valvulam foraminis comprimit ovalis et claudit. Hoc iter tamen illo serius coarctatur, et in paucis quibusdam profecto nunquam ex toto deletur; et tales, sanguinis circuitum, respiratione interpellata, continuare valentes, urinatores eximii fieri solent. Et hic obiter licet observare, his viis per totam vitam apertis animalia amphibia frui.

Infanti in lucem jam edito, est corpus molle, macrum, rubicundum, laxum, vasculis undique scatens. Cor non solum amplum est, sed valide, et crebro admodum sese deplet. Venis tunicæ quam arteriis fortiores sunt atque densiores. Caput est magnum. Artus inferiores mirum in modum sunt exiles, vis quia sanguinis ingens, prius

quam

quam ad eos pervenerit, divertebatur arterias ad umbilicales.

Cerebrum et medulla ſpinalis molis ſunt ingentis, mollia autem ac pene fluida; nervi quoque univerſi ſunt laxi, tenerrimi, et acutiſſimo prædiți ſenſu.

Muſculi apprime ſunt imbelles. Quinimo oſſa vix ſunt niſi cartilagines, quamvis numerus eorum eſt inſignis. In cranio, quidem, haud connectuntur, nec etiam ab omni parte ſe mutuo tangunt. Hinc in vertice apparet ſpatium, rhombum figura referens, tegmine omnino oſſeo carens. Alia quoque minora inter alia capitis oſſa obſervantur. Proſunt hæc ſpatia inter partum, capitis figuram mutari ſinendo.

Glandulæ omnes pro corporis mole ſunt grandes, quarum una cavum ex toto ſummum implet thoracis, quoſdam poſt annos evanitura. Cuinam vero uſui glandula hæc inſervit, quam Thymum anatomici nuncuparunt, Phyſiologos inter ambigitur adhuc: Nec futiles de ea recenſere notiones expediet.

Renes

Renes e lobis distinctis constant. Clauditur meatus auditorius membrana subtili. Oculi sunt grandes: lentes chrystallinæ, humores, et corneæ colore roseo sunt insignes. Hinc visum minus esse clarum conjicere licet. Pupillæ oculorum sunt patulæ; et quidem lepidus et ethicus ille * pictor Anglus, cui fere nihil ingenium acre latebat, quique vultus humani mores ac lineamenta unice notabat, pupillas infantuli opinatus est eas adulti prorsus adæquare: Sed sibi illusisse mihi videtur.

Hæc autem omnia, protinus a partu, status formasque novas acquirunt. In stadio utique primo Thymus multum decrescit. Ossa gradatim aliquid roboris adipiscuntur, et iis ope cartilaginum adnexa, quædam ossea crescunt additamenta, quæ Epiphyses vocantur. Ossa cranii sibi invicem inseruntur, donec spatia membranea deleantur. Hoc, in genere, post annum secundum perficitur; multo serius autem nonnunquam partibus in variis, varia post tempora, ossa plura in unum coeunt. Cor glandulæque parum pro rata parte crescentia,

* Hogarth.

minui videntur. Minus minuſque crebro quotannis arteriæ micant: Et earum extremæ, quibus tota cutis intertexta roſeum exhibebat colorem, delentur.

Anno primo obeſus infans fieri ſolet; unde articulorum quorumvis extenſio rugas formare videtur: Et prima linea faciei, etiamque corporis totius, conficitur arcubus circulorum.

Cum autem exercitatione incipit uti, gracilior aptiuſque compoſitus in dies evadit.

Arteriæ venaque umbilicales, nec non ſinus venoſus et canalis arterioſus, ſanguine priſtino orbata ſenſim collabuntur, ac in ligamenta convertuntur.

Infans creſcit, tardius equidem quam fætus, mira tamen celeritate: Tantum ſcilicet tribus annis primis, quantum octo vel novem ſequentibus. Sed artus inferiores imprimis augentur mole, propter vim ſanguinis ingentem, quæ ab arteriis umbilicalibus in eos divertitur.

E gingivis infantuli ſemeſtris, inermibus adhuc, dentes prorumpunt anteriores, cibum novum indicantes, pauci profecto, ſed miſello cruciatum infe-

rentes,

rentes, et longa malorum caterva ſæpius ſtipati. Ordo vero integer dentium viginti raro ante annum ſecundum perfectum apparet.

Præ vi cordis et magnitudine, pariterque mollitie ſolidorum cedente, corpus quod ad longitudinem indies, annis potiſſimum primis, tenditur. Præ cauſis iiſdem, ipſarum mole glandularum magna juvante, ſecretiones omnes perficiuntur abunde, unde citiſſima eſt alvus. Cauſæ priori quoque cutis humidiſſima eſt tribuenda. Muſculi infantum tendinibus perexiguis inſtruuntur.

Hoc, ut et laxitas corporis univerſalis, magna ex parte, cibo ſorbili per annos plures conſervatur.

Hoc exiſtente ſtadio inter ſexus minimum intereſt, organis genitalibus, e quibus diſcrimen inter eorum animos æque ac corpora pendere videtur, nondum abſolute explicatis.

Ætas prima morti præ aliis eſt obnoxia. Hoc in urbibus magnis, confertis potiſſimum fit manifeſtum. Sic pars dimidia natorum Londini, ante-

quam in luce tres annos ſint commorati, lugubri fato abripiuntur.

Infantis equidem incauti, et ſolum plorare valentis ſemitam plures obſident morbi, caſſes ex occulto tendentes. Horum nonnulli congeniti, ab hora natali miſellum exercent, cito plerumque conficientes, interdum vero longas per ærumas trahentes: alii per annum unum vel alterum inſidioſe latent, donec viatorem opprimant inopinantem: Dum alii mox memorandi, crudeliores adhuc, flore gaudentes ætatis adoriutur. Sed non ſolum cum hoſtibus cognatis prœlium imbellis inire cogitur; caſus enim innumeri tenellum obiter laceſſunt, atque in valetudinem conjiciunt.

Morbi potiſſimum infantibus formidandi ſunt Aphthæ, Epilepſia, Hydrocephalus, Rachitis, et a vermibus alvum occupantibus irritatio. Horum omnium effugium neſcio an impetrari poſſit, ni votis forſan aliquatenus reſponderet, nutricem comparare valetudine optima fruentem, lacti tempeſtive cibum aliquid fortiorem, haud vero nimis acrem ſupponere, aera conclavis ſemper purum

ſervare

ſervare, puellum ſub dio ſæpius exercere, et omni denique mane aquam in algidam immergere.

> Durum a ſtirpe genus, natos ad flumina primum
> Deferimus, ſævoque gelu duramus et undis.

Hæc, ſi aliquid, Rachitidem imprimis avertent; idcirco cum quævis ſymptomata ejus adventum prænunciant, quæ jam præcepta ſunt religioſe obſervare decebit; imo ſane, nullo in caſu ea negligere fas eſt. Si Hydrocephalus ſit formidini, ſetaceum vel fonticulus ſub occipite aliquid profit. Morborum ſupra dictorum medelam tractare a propoſito prorſus abduceret.

His morbis annumerare licet Triſmum, Bronchocelem, Anginam Trachealem, atque Anginam malignam. Horum primus his in regionibus raro occurrit: Secundus quodam ſub cœlo vix eſt vitandus: Tertius admodum eſt infrequens, nec niſi mollius eductis, et ſubito frigori objectis, aut ſub cœlo humidiſſimo degentibus, ut opinor, infeſtus: Contagione tantummodo ultimus concipitur.

Quan-

Quandoquidem magnum per ſecretiones fit diſpendium, et multo opus eſt cibo ad corpus, mirifice creſcens, alendum, dum ſimul facile opprimitur ſtomachus tener; cibi appetentiam, jure importunam, victu crebro, ſed modico, blando, et pro tenera ætate molli explere oportet. Sed menſibus primis, ut lac maternum ſit alimentum præcipuum, et natura monſtrat, et ſalus puelli matriſque poſtulat.

Infantulorum corpora ne faſciis involvantur, idonei quia motus thoracis et artuum ita nimis impedirentur. Nec veſtibus calidis opus eſt, vix enim unquam, frigore admoto, aliquid mali patiuntur. Corpora eorum religioſe ſervare nitida, et decet et prodeſt.

Tempore quo dentes e membrana gingivarum vaſculis abundanti et tenerrima exterebrantes angunt infantem, omni cura ab irritatione quavis, ideoque morbis contagioſis ſalvum præſtare oportet.

Anno plerumque ſeptimo ſæpe quidem maturius, interdum multo ſerius dira et horrifica Scro-

fula

fula ſeſe oſtendit. Hujus magnitudo poſtulat morbi, ut non ſolum impetum facienti obviam eamus, ſed etiam, ſi propter ipſum familiæ antehac infeſtum, vel temperamentum quod ei homines reddit obnoxios in puero conſpicuum, anguem latere ſuſpectum habemus, modis jam poſitis, corporis robur ſtabiliatur.

STADIUM SECUNDUM.

Cum jam ſeptimum annum explevit, plura quæ fætum deſignabant, penitus evanuiſſe ſolent; qualia ſunt foramen ovale, ductus arterioſus, ſinus venoſus, &c. Thymus etiam in molem exiguam contractus eſt. Stadio nunc inchoato durante, fibræ validiores fiunt omnes. Minus crebro micant arteriæ. Glandulæ ratam portionem ad cæteras partes debitam et permanſuram acquirunt. Corpus, artuſque præſertim, quod ad longitudinem creſcunt: Lentius vero quam annis proxime elapſis. Muſculi magna ex parte flaccidi manent. Artus macri, præ motu indefeſſo, et perperam adhuc

compoſiti.

compoſiti. Oſſa ſtabiliora evadunt, dum *epiphyſes* firmius iis accreſcunt. Renes, lobulis compreſſis, ſuperficiem magis æqualem oſtendunt.

Sexus parum hactenus inter ſe diſcrepant; utriſque cutis eſt depilis, pellucida, delicata; planæ mammæ; vox arguta; corporis univerſi mollis compago.

Dentibus pridem viginti tantum maxillæ inſtructæ, nunc octo et viginti novis ornantur.

Perpaucis hæc ætas morbis tentatur; *Irritabilitatis* infantilis, atque morbis undantis fibrarum tenſionis virilis, pariter expers. Quandoque vermes profecto exercent, vel cutis papulis fœdatur. Cæteroquin, vix ullum epulas præter immodicas, vel exercitationem vires ſuperantem, frigore præſertim temere corpori admoto, eſt verendum.

Exceſſus igitur jam recenſiti cavendi ſunt; et quibuſdam lene quodvis catharticum (ſicut Rheum cum Calomelane) certa poſt intervalla, eſt porrigendum. Minime tamen molliter vivere ſuaderem; ſed teneris ab unguibus aſſueſcant tolerare frigus atque laborem. Quem in finem, nil magis

corpus

corpus obfirmat, quam undis quotidie per tempeſtatum viciſſitudines fidere omnes.

STADIUM TERTIUM.

ÆTATEM hanc, quam alma rerum parens conſuetudinem ad ſexuum gratiſſimam deſignaſſe videtur, omnibus, quæ ad decorum et amabile conducant, ornavit. Sic Juvenis ſolet eſſe comis, hilaris, vultu nitido, oculis animoſis, trunco et artubus apte et ornate compoſitis. Virgo, omni venuſtate affluens, forma tereti et elegantiſſima, rubore lucente in ore niveo formoſo dulce ridenti, inceſſu decenti, moribus manſuetis, omnibus denique prædita illecebris, quæ animum concilient et captent, merito decus humani generis habetur.

Hac ineunte ætate plurima nova ſeſe oſtendunt, notabile inter ſexus ſtatuentia diſcrimen. Puerorum muſculi, eatenus molles laxique, firmiores fiunt, unde membra melius conformata videntur, et totum equidem corpus ſpeciem meliorem acquirit. Mentum pubeſque ſimul veſtiuntur lanugine, pau-

coſque poſt annos gravibus pilis. Vox rauca, vultus virilis evadit. Grandeſcit inguen, creſcunt teſtes, et idoneum ſecernere liquorem incipiunt: Et his quidem evolutis cæteras mutationes, puero jam puberi incidentes, tribuendas eſſe probabile videtur; quia iis exſectis, vel ætate provectiore marceſcentibus, tota corporis ſpecies brevi vix diſtat a muliebri.

Puellæ, cum nondum tredecimum attigit annum, ſubeundæ ſunt mutationes, diverſæ quidem, haud vero minus inſignes. Poſt enim univerſalis varia ſigna plethoræ, multaque exinde oriunda incommoda, aſpera et difficilia perpeſſu, mucus albidus ex utero pauliſper profluit, cui ſanguinis ipſius eruptio ſuccedens, inſuetam, pavidam, cauſæque incertam percellit. Tempore eodem turgeſcunt mammæ, verendaque pili velare incipiunt. Hæc ab ovariis nunc primum explicatis, auctis, ovaque ſecernentibus, haud eſt veri abſimile provenire: Quia mulieribus effœtis, mentum pilis vacare, mammæque extare brevi deſinunt. Quinetiam fœmina, ovaria cui fuerant exſecta, (ſit mihi fas audita loqui)

barba

barba horrida, craſſa, muſculis toroſis, mammiſque depreſſis facta eſt cito inſignis; vigore ſi non virum, ſaltem ſemivirum æmulans.

Sanguinis copia, in fœtu capiti nutrimen et incrementum ſuppeditando potiſſimum impenſa, in ætate prima ſecundaque truncum et membra in longum tendendo verſata, nunc, his magnam in partem confectis, in organa, quorum eſt genus in æva futura conſervare humanum, quo ea rite amplientur, quo receſſus eorum pandantur intimi, et liquores ad generandum neceſſarii ſecernantur, dirigitur.

Cæterum virgini alia adhuc, nec parvi momenti, commoda, hæc loca vis ſanguinis magna occupans præbet. Effluit enim, qua via patet, ora per arteriarum uteri aperta, donec pondus ejus gravans omnino tollatur: Quod tamen certa poſt tempora rediens, effluvium ſimile in menſes provocat, ejuſque ita reditum in conſuetudinem vertit. Fons ſic uber ſanguinis efficitur, quo gravida prolem nondum in lucem editum alat, et quo prorſus ſuppreſſo, tempore partûs novi ſcatent rivi ſuſtentaturi

natum. Hi quidem diverſi ſunt generis, alioque in loco apparent, nexu tamen manifeſto cum priori vinciuntur, planeque ab uteri ſtatu prius deſcripto pendent.

Cur vero non tanta moles ſanguinis in ſexus genitalibus alterius exuberet, ſi quis quærat, a diverſa iſtorum, æque ac corporis totius fabrica deducam. Fœminæ imprimis ſunt arteriæ abundantiores quam viro, pro rato numero venarum, hinc (ob pauciores egrediendi vias quæ ſanguini patent) arteriæ ejus ad aperiendum ſunt procliviores. Hoc, vero, promptius in utero locum habet, ubi hæ adprime laxæ et tortuoſæ exiſtunt, dum venæ rigentes curſui ſanguinis obſtant.

Ad hoc, arteriis iſtis, ita tumidis, ora in cavum apertum hiant. Hæc omnia ſanguinis e pudendis fœminæis profluvio faventia, juveni prorſus deſunt.

Grandior tamen illo jam puber eſt plerumque, mollior quia corporis compages cordis vi pandenti levius reſiſtit; quod eam quoque reddit plethoræ magis opportunam.

Anno

Anno poſt pubertatem quarto vel quinto, adoleſcere juvenis ut plurimum ceſſat, et etiamnum levis ac gracilis, dehinc formam valentem ſtabilemque acquirit. Idem circiter tempus Thymus penitus evanuiſſe ſolet: nec non cartilagines, inter oſſa et capita eorum interpoſitæ, eſſe reſorptæ, partibus firmiter concretis. Vox quoque rauca in mollem, fortem, plenamque vertitur.

Flore juventutis fruentes, morbis pectus tentantibus, ſicut Hæmoptyſi, Phthiſi, imprimis laborant. Namque hac ætate ſanguis, genitalibus explicatis, pulmones onerat, perſæpe, gravatque: Nunc enim ſubito et celerrime increſcere ſolet corpus, dum pulmones paſſu haud pari augentur; et quoniam ſanguinis eadem quantitas pulmones et reliquum corpus perfluit, vaſa eorum magnopere diſtendi tandemque cedere accidit: Et hoc iis potiſſimum annis eveniet, queis *ſyſtema* aorticum ſummam adeptum fuerit magnitudinem. Sed hæc cauſa raro ſufficiet, niſi prava pulmonum aut thoracis fabrica primario exiſtat. Quomodo Hæmoptyſis Phthiſim inducit, vel ſi prior ſit poſterioris

ris unquam fons et origo ſola, non hic eſt loci diſceptare ; ſcire ſufficit, hunc morbum illius affeclam eſſe haud infrequentem. Sed fatendum eſt, quod Phthiſis juvenem aliquando, tuſſi tantum prænuncia, miſerum arripit atque trahit ; nec raro ſub hac forma e latebris ſcrofula prodit.

Hinc eſt colligere, quam diligenter et ſuſpicioſe hos conjuratos obſervare oportet, ne intra limen veſtigia ponant. Eorum, igitur, qui propter frequentes impetus tuſſis, vel vultum dictum ſcrofuloſum, aut alia ſcrofulæ inſtantis ſigna, vel thoracem arctum male formatum cum collo longo gracilique, vel Pneumoniam diuturnam haud ita pridem amotam, vel Aſthmatem denique vexantem, Phthſim imminere timent ; eorum, inquam, intereſt maxime, omnia quæ genus ſanguineum nimis irritent, qualia ſunt Ebrietas, cibi ſtimulantes, exercitatio immodica, vigiliæ nocturnæ, religioſe vitare. Hyemes præterea peregre morentur, ſub ſole benigniore : Sin id non eſt, ſaltem a frigore ſalvos, atque humiditate cæli ſeſe præſtanto, corpus lorica lanea veſtiendo, pedes quoque lana tegendo,

gendo, et ſeſe quotidie (leviter tamen) exercitando.

Quæ jam præcepta ſunt, ſexus attentionem utriuſque pariter vindicant, ſinguli quia morbis ſupra poſitis æque plectuntur: Atqui ſequiorem haud ea contemnere magis oportet, quia morbis, inſuper, uteri ac ſtomachi ſæpiſſime virgo tentatur. Sic Deſidia, Luxus, Vigiliæ debilem reddentes Puellam, ſanguinem ex utero primum manare impediunt, aut reditui, tempore idoneo, amnis ſalubris obſtant. Aſt hoc fateor infortunium poſterius ſæpius frigore ſuſcepto, humore pedibus admoto, vel affectibus animi effrænis contrahi. Dein, Ebrietas, cibus acris irritans, luxus, exercitatio vehemens, quodcunque denique vel totum genus ſanguineum, vel uterinum ſpeciatim ſtimulet, provocetque, fluxum immodicum reddet.

Horum quivis morborum Ventriculum infirmat, nexu mirabili eum inter ac uterum ſtatuto, longaque malorum caterva ſtipatur.

Contra, ſi Juveni vigent pulmones, parum ut plurimum eſt timendum; niſi quod quidam ſtudio

dediti

dediti ultra modum, ad morbos ſtomachi ſunt proclives.

Hac ætate fruentes contagio ſane quævis, ut videtur, prehendere amat: Quapropter a tali periculo illos præcavere oportet, non ſolum loca fugiendo peſtifera, ſed corpora omnibus modis roborando. Ne nimis, ſcilicet, Baccho Venerive indulgeant, et ſive flet fervidus Auſter, ſeu gelu flumina conſtent acuto, ne certamina campi detrectent, et labori, algori, fervorique aſſueſcant. Artibus inſtructa talibus Romana juventus, Spartana talibus, gens dura, aſperitatibus ac ærumnis omnibus invicta fiebat.

STADIUM QUARTUM.

Raro robur juvenis ab omni parte perfectum conſequitur, donec ex impuberibus decem exceſſerit annis. Atqui celerius annis quibuſdam conditionem hanc fœmina videtur attingere. Nunc Viro, ſi unquam, ſunt brachia cruraque lacertoſa, quadrati humeri, thorax amplum, ſummum indi-

cantia

cantia vigorem, qualis uxoris vindicem, charæ et teneræ ſobolis præſidium, denique omnium quæ creata ſunt principem, deceat. Fœminæ nunc corpus eſt nitidum, artus quadantenus firmi, formaque tota omnibus numeris abſoluta. Vires ſimul obtinet, lenes revera, aptas tamen iis muneribus gratis, quæ cura familiæ poſtulet.

Cæterum res ipſa hortari videtur, ſupra repetere, et quædam de cauſis, quibus corpus humanum creſcit, conſiſtit, deficit, diſſerere. Homini jam nato, ut dudum poſui, cor eſt grande, validum, venæ firmæ, arteriæ cedentes. Arterias igitur vi ſanguis propulſus urget, diſtendit, et quaſi diſtrahit: Rimulæ tamen materia idonea, congruenti, haud mora, replentur. Tali vaſa modo, primis annis, in longum potiſſimum proferuntur: Et quoniam omni corporis parti accretionis moleculæ ramulis certis ex arteriis oriundis deferuntur, quo magis tenduntur arteriæ, eo latius diffundentur particulæ aſſimilatæ, eoque grandiores ac numeroſiores fient fibrillæ corpus totum conflantes. Annos autem poſt aliquot cartilagines addenſati fir-

matique ossium extensioni resistunt : Tendines, quoque, et musculi rigentes ulterius nolunt distendi, quapropter cessat adolescere corpus, perstant vero partes in latum distendi, unde turgescunt et prorsus grandiores fiunt. Postmodum, autem, hîc quoque vi cordis obstatur, quoniam nec molis nec roboris augmen acquirat, dum arteriæ, contra, tunicis compressis, rigidæ et validæ fiunt. His rite perpensis, cur corporis cesset incrementum sat evidenter patebit. Veruntamen annos per aliquot consistit corpus, dum cor truncique arteriarum ad vasa omnia minuta propellere sanguinem pollent, dumque adhuc sensibilitas et irritabilitas vigent.

Homines vigore gaudentes ætatis, fibris nempe strictis et elasticis plerumque insignes, frequentius morbi acuti, quibus validus favet circuitus sanguinis, corripiunt. Sic, sanguinis congestus, nisu quovis vehementi, halitu cutaneo subito represso, affectibus animi violentis, vel aliis plurimis causis, effectus, omnium viscerum inflammationem, nec non catarrhum, Rheumatismum, Apoplexiam (quo

non

non malum velocius ullum) variaſque hæmorrhagias homini adulto, robuſto, inducere ſolent.

Ad hos morbos feroces vitandos, primo neceſſe eſt conſtitutionem antea firmaſſe, quo nulla pars ſit debilior, faciliorque affectu, atque quo cauſæ excitantes primo impetu repellantur. Deinde, cauſas ipſas, quantum fieri poteſt, aut avertere, aut fugere opus eſt. Idcirco, horrenda ſunt præcipue, Ebrietas, Ira, Cibus acris, Pulmonum quovis modo diſtentio immodica, molimen vel labor vires excedens, et frigus mordens, vel humor, dum corpus quieſcit, et præſertim ſi ſimul ſudore perfluit. Per hoc ſtadium, corpus eſt maxime patiens inediæ, vigiliæ, algoris; mirabiliter equidem iis, qui ſe, aſpera et ardua ſubeundo, junioribus annis obfirmarant. Talium corporis virium cujuſque regionis hiſtoria, per omne ævum, innumera tradit exempla.

Huic ætati quoniam potiſſimum gnavitas convenit, ii qui ſecordiæ atque ignaviæ ſeſe tradunt, variis, haud immerito, plectuntur morbis. Verum enimvera, quamvis fatendum eſt, per hos etiam annos,

decere hominem, non ſolum a cibo delicato, qualis ſolicitet ſtomachum, ab inertia, vino, ſomnoque nimio abſtinere ; ſed exceſſus frigoris, caloris, laborumve timere : nihilominus, dum viget ætas, nemo vitam victumque omni modi variare dubitet.

——His cares were ill beſtow'd,
Who would with warm effeminacy nurſe
The thriving oak, which on the mountain's brow
Bears all the blaſts that ſweep the wint'ry heav'n *.

Hic forſan, haud ineptum foret recenſere morbos et incommoda, queis gravidæ et nutrices potiſſimum patent ; monſtrare item qua ratione ſe ſalvas optime tueantur ; ſed ea res longius ab incepto traheret.

STADIUM QUINTUM.

Stadio jam quarto exacto, cor et arteriæ tardiora fiunt ſtimulatu, hebeſcentem ob irritabilitatem ;

* Armſtrong on Health.

tem ; rigeſcunt item eorum fibrillæ et pigrius contractionem patiuntur : Impulſibus præterea cordis magis obſtant arteriæ, tunicis compreſſis et condenſatis. Quinetiam ſomno et otio quadragenarii haud raro indulgere incipiunt. Ex his fontibus deductæ mutationes complures corpori incidunt. Arteriæ minus crebro et fortiter micant. Sanguine parum vi propulſo idonea in vaſa longinqua exilia, inſenſilis per cutem deficit halitus, unde cutis fit aſpera, dura, ſicca. Plurima quoque vaſa cute tota intexta, eamque nitore hucuſque ornantia roſeo, deleta ſunt. Minus clare coruſcant oculi, neque leniores affectus animi ulterius exprimere valent. Calor, inſuper, corporis totius languet, glandulæ ſchirrho magis opportunæ redduntur. Viſcera abdominis ſe male habent, ſive quod defectu cxhalationis per cutem ſalubris, onerantur ſanguine et opprimuntur ; ſive fibrarum robur ſuarum, præ nexu cum cutaneis inſigni, deficit ; ſeu primario irritabilitas earundem fallere cœpit. Adipis etiam comparationi et coacervationi magnopere cauſæ favent eædem : Præſertim cum nimis laute

laute et abunde, heu pudor! ut plurimum epulantur: Sin id ne quidem eſt, raro tamen, ut decet, diurna recidunt cibaria. Epulas noctturnas, quibus maxime delectantur, talem propenſionem inducere plerique cenſent; nec injuria, quia dormienti ſanguinis curſus retardatur, et ſecretiones tenues minuuntur, ita ut omne opimum, quod cibo nuper aſſumpto inerat, examuſſim eliciatur, in ſanguinem vertatur, et denique in cellulis propriis ſecernatur. His cauſis obeſitatis parciorem Veneris culturam forſan addere licet.

Fœminæ citius in genere, quam viri pinguescunt, quia et ob vitam inertiorem, et ob vires cordis imbecilliores, langueſcunt citius organa, quorum eſt ſupervacanea eliminare.

Labaſcunt paulatim vires, ab hujus principio ſtadii, uſque ad limitem vitæ: Iis tamen, qui modice, ſobrie, atque gnaviter hucuſque vivebant, ita furtim ſubripiuntur, uti earum defectum nec ipſi, nec familiares, niſi poſt longa intervalla, percipere poſſunt. Sed quoniam perpauci ſunt, qui ita vitam inſtituerunt, idcirco haud raro, ab octavo etiam

luſtro

luſtro finito, adeo evidenter vires vacillare incipiunt, ut neminis fugiat obſervationem. Cæterum apertius deficit membrorum agilitas, quod ab obeſitate ſolita corporis pendet, ab animo quoque minus alacri, curis negotiorum obſito, a vi nervoſa fallente, ab inopia ſinoviæ lubricantis, denique a fibris muſculorum tendinumque rigentibus. Hanc autem ipſam rigiditatem ſeneſcentis pigritiæ, et plurium vaſculorum muſculos antea percurrentium interitui, aliquatenus tribuere licet.

Currente hac ætate, ſenſus omnes paulo minus acuti gradibus lentis fieri ſolent. In quibus adverſis efficiendis, totius generis nervoſi hebetudinem paulatim obrepentem maxime reor eſſe in culpa. Præterea, ſpeciatim, tactûs vitium cuticulæ craſſeſcenti parumque humectatæ licet imputare; quinetiam auditûs, cerumini haud ita molli, forſanque copia nimia ſecreto, necnon muſculis et tendinibus aurium minimis rigentibus, ut et tympani membranæ ægre mobili factæ; viſûs autem, languori vaſculorum quorum eſt ſanguinem et humores globo oculi ſuppeditare; hinc cornea denſior et planior evadit,

evadit, et lens ipſa multum pelluciditatis priſtinæ perdit. Sed generis ipſa hebetudo nervoſi ab aliena per cerebrum diſtributione ſanguinis, atque dureſcendi indole quæ ipſi cerebro ineſt, provenire quodammodo videtur. Nervis quoque ipſis forſan ſanguis deeſſe cœpit. Venæ ob laxam ac cedentem fabricam turgent, adeo ut annis quibuſdam elapſis, ſuperficiem corporis inæqualem reddunt. Arteriæ, contra, parum a tergo diſtenſæ, nec multum a venis reſiſtentiæ, quo minus ſeſe libere depleant, offendentes, contractionem indies arearum patiuntur.

Eos qui ætatem attinuerunt provectiorem varia morborum genera, longorum præcipue, tentant; quorum ortum principem a mutationibus queis hac tempeſtate corpus obnoxium eſſe ſtatui ſupra, haud difficile foret deducere. Hi ſunt, rarius, Scirrhus et affecla ejus formidoloſus, carcinoma. Nonnunquam Apoplexia vel Paralyſis impetum facit, cum plethoram in capite intolerandam obeſitas corporis induxerit. Artus quoque frigori vel humori diu objectos, (nervis ultro nimis ad torporem vergentibus),

bus), Paralyſis quandoque ſupplantat. Sæpius morbi viſcera vexant abdominalia; venter, nempe, ſupprimitur, præ humorum inopia inteſtinalium, vel minuta fibrarum irritabilitate: Hinc provenit quandoque ani prolapſus, et hæmorrhoides, forſan in fiſtulas abituri. Ventriculus ſæpiſſime laborat (tarda alvo plerumque ſe comitem præbente) a pigra ſucci ſecretione gaſtrici, et ab hebetudine ventriculi fibrarum, cum generis nervoſi languore conjuncto; unde cibo remora collecto, et fermentum acre, quod ſuccus parcus gaſtricus corrigere nequit. Status hicce Ventriculi, præter ſymptomata plurima gravia ab ipſo proxime oriunda, alios, nec leniores, in partium functiones diſtantium edit effectus. Imprimis, *Hypochondriaſim*, nexus ope mirabilis eum inter ac cerebrum ſtatuti, morte magis timendam inducit; deinde Podagram tardam, *Nephralgiam*, horrendumque *Calculum* quodammodo aut parit aut alit. Iners cordis et arteriarum conditio, tot morborum principium et fons, accedente vaſorum *abſorbentium* ſecordia, hydropem dirum haud infrequenter miſero infert; ſupplicium quan-

doque debitum uſu contractæ temulentiæ, quæ non ſolum debile corpus reddere, ſed etiam Scirrhum in Hepate gignere poſſit. His adde virium univerſalium vitæ ſalutiſque conſervatricium ruinam præmaturam, ſeu Cachexiam, heu nimis ſæpe a juventutis oriundam flagitiis; quicquid enim delirabat Juvenis, nunc plectitur Senex.

Ex ſupradictis videre licet, quemadmodum hæ copiæ morborum ingruentes ſunt depellendæ. Imprimis, vitam degiſſe modice, impigre, caſteque neceſſe eſt: Liquet enim eos, ſtupra quorum perpetua, cum aſſectatoribus ſuis pariter exitioſis ac averſandis, vel vinolentia perpetim exercita, vires convulſit, vel ſenſim deſidia labefactavit, morbis ſupra memoratis patere maxime, atque facile prædæ fore. Deinde, maxima pars rerum valetudinem integram conturbantium arceri poſſint optime curſui ſanguinis languenti opitulando, eumque, quantum fieri poſſit, ſuperficiem verſus corporis dirigendo. Talibus, ſi faveat Fortuna, modis Scirrhi poſſint vitari: Scirrho vero quovis ſtabilito, carcinomati medicamentis vi deobſtruenti pollenti-

bus

bus obviam eundum eſt. Sic viſceribus quoque abdomen occupantibus ingens auxilium feretur. Sic Hydropem quibuſdam licebit prævertere. Sic Polypos aliquandiu retardatos iri, fas eſt ſperare. Sic Apoplexiam poſtremo potis erit fugere, ſanguinis molem a capite divertendo, et adipem in trunco coacervari parum ſinendo.

Ad hæc exequenda conſilia, ambulatione leni utatur indies; ſin hæc celerius fatiget, equo vehatur, non vero ſine comite, ſolum enim poſt equitem ſedet atra cura, ut ipſe adverſa valetudine uſus, graviter quondam experiebar. Si per procellas, pluvias, aliamve cauſam foras haud exire licet, non tamen idcirco ſe impigre domi exercere negligat, nec ſe ſtrigili contemnat perfricare fortiter. Oportebit quoque, " ſive Aquilo terras radit, ſeu " bruma nivalem interiore diem gyro trahit," aut oras propiore ſole calentes petere, aut ſaltem amictu ſe laneo circumcingere. Senibus ſe paulo benignius tractare expedit. Cibi nutritione pleni, atque foventes conveniunt. Epulas tamen eſſe modicas decet, vires quia digerendi moli cibornm

doque debitum uſu contractæ temulentiæ, quæ non ſolum debile corpus reddere, ſed etiam Scirrhum in Hepate gignere poſſit. His adde virium univerſalium vitæ ſalutiſque conſervatricium ruinam præmaturam, ſeu Cachexiam, heu nimis ſæpe a juventutis oriundam flagitiis; quicquid enim delirabat Juvenis, nunc plectitur Senex.

Ex ſupradictis videre licet, quemadmodum hæ copiæ morborum ingruentes ſunt depellendæ. Imprimis, vitam degiſſe modice, impigre, caſteque neceſſe eſt: Liquet enim eos, ſtupra quorum perpetua, cum affectatoribus ſuis pariter exitioſis ac averſandis, vel vinolentia perpetim exercita, vires convulſit, vel ſenſim deſidia labefactavit, morbis ſupra memoratis patere maxime, atque facile prædæ fore. Deinde, maxima pars rerum valetudinem integram conturbantium arceri poſſint optime curſui ſanguinis languenti opitulando, eumque, quantum fieri poſſit, ſuperficiem verſus corporis dirigendo. Talibus, ſi faveat Fortuna, modis Scirrhi poſſint vitari: Scirrho vero quovis ſtabilito, carcinomati medicamentis vi deobſtruenti pollenti-

bus

bus obviam eundum eſt. Sic viſceribus quoque abdomen occupantibus ingens auxilium feretur. Sic Hydropem quibuſdam licebit prævertere. Sic Polypos aliquandiu retardatos iri, fas eſt ſperare. Sic Apoplexiam poſtremo potis erit fugere, ſanguinis molem a capite divertendo, et adipem in trunco coacervari parum ſinendo.

Ad hæc exequenda conſilia, ambulatione leni utatur indies; ſin hæc celerius fatiget, equo vehatur, non vero ſine comite, ſolum enim poſt equitem ſedet atra cura, ut ipſe adverſa valetudine uſus, graviter quondam experiebar. Si per procellas, pluvias, aliamve cauſam foras haud exire licet, non tamen idcirco ſe impigre domi exercere negligat, nec ſe ſtrigili contemnat perfricare fortiter. Oportebit quoque, " ſive Aquilo terras radit, ſeu " bruma nivalem interiore diem gyro trahit," aut oras propiore ſole calentes petere, aut ſaltem amictu ſe laneo circumcingere. Senibus ſe paulo benignius tractare expedit. Cibi nutritione pleni, atque foventes conveniunt. Epulas tamen eſſe modicas decet, vires quia digerendi moli cibornm

ægre ſufficerent. Idcirco præterea, eſcas concoctu faciliores ſeligant; necnon quæ ſtimulantiore pollent qualitate, quo fibras torpentes incitent: Eaſque poſtremo, quæ ſint ad aceſcendum parum proclives, ne incommoda multa parirent. Vinum meracius, modo ne mentem capiat, aut Stomachum opprimat, libere bibant. Mollius cubent. Labore vehementi vacent. Ætatis ſub finem hujus, balneum haud parum proficit.

STADIUM SEXTUM.

Reliquum eſt, ut de ſexto ſtadio miſerando dicam, quod ab amiſſa potentia procreandi ſobolem inchoat, et ultima linea rerum finitur. Viro teſtes, qui annos per aliquot proximos lente admodum liquorem genitalem ſecernebant, et longa poſt intervalla ad congreſſum Veneris incitabant, nunc penitus areſcere et decreſcere ſolent. Horum orbata ſtimulo virga quoque flacceſcit, necnon magis magiſque indies corporis tabeſcit vigor, animique alacritas. Mutatio hæc univerſa, viribus generis ſanguinei

guinei infirmatis, ſicut æſtimo, indeque vaſorum areis minutorum obturatis, eſt imputanda.

Annis circiter decem citius fit Mulier effœta. Hac tempeſtate ſanguinis rivus ſolitus, primo poſt intervalla redit inæqualia, tandemque penitus ceſſat; res maximi referta periculi, non modo incommoda pro tempore varia faceſſens, ſed morbos cruciantes et inſanabiles miſeræ inferens. Etiam dum varius et abnormis eſt, pondere circa lumbos et dolore capitis obtuſo mulier opprimitur; ſtomacho ſimul laborante, quale fit tempore pubertatis. Cum vero ſiſtit omnino, omnia hæc ſymptomata ingraveſcunt; quibus Hæmorrhagiæ variæ haud raro accedunt; necnon Viſus et Auditus conturbantur; nonnunquam etiam Apoplexia fœdave *Leucorrhœa* hos excipit morbos. Interdum autem exoriuntur mala, lentius fateor aggredientia, multo tamen magis horrenda. Hoc tempore etenim Scirrhus et Carcinoma Uterum mammaſve invadere amant, infelicem doloribus infandis torquentes.

Menſium

Menſium penitus ſuppreſſorum cauſa, ut arbitror, eſt conditio rigens arteriarum uteri, viſque debilis qua ſanguis in eas propellitur. Exitu ſanguinis ſic impedito, tandemque prorſus abolito, plethora ſupervenit univerſalis ; et hinc oriuntur ſymptomata quæ ſupra dixi primam comitari aberrationem, ſed quæ, eventu conſummato, magnopere exacerbantur. Scirrhum ciere videtur copia ſanguinis nova in eas partes immiſſa, quam cor et arteriæ irritabilitate vigoreque priſtinis amiſſis, ægre circumagere valent. Veri autem ſimile eſt, diatheſi quadam inſuper opus eſſe ad hunc morbum inducendum ; aliter enim, frequentius eveniret.

Finem primariæ mutationis æſtimo, ne ſi vetula conciperet, partium pelvem formantium rigiditas partum omnino impediret ; neve, ſi parturierit, ad ſobolem imbellem et inopem tollendum parum ſufficeret : Forſan quoque, ne conſtitutionem nimis imbecillam a matre proles deduceret.

Syſtemate ſic mutato genitali, ſexuum diſcrimina fere omnia intereunt. Dulce non amplius loquuntur

quuntur effœtæ; cutis fit dura, veniſque diſtincta magnis. Nec brachia, nec crura priſtinum nitorem teretem retinent: dum cutis interea univerſa, ſed potiſſimum ea faciei manibuſque obducta, in rugas contrahitur fædas. Mentum horreſcit capillis; mammæ, nunc inutiles, flacceſcunt, decreſcunt, tandemque fere planæ redduntur. Mulieres tamen, gravibus jam functæ ſtipendiis vitæ, longiore vita, ac meliore valetudine quam viri, emeritæ veluti, ut plurimum donantur. Quæ res fibris laxioribus, minuſque ad rigendum proclivibus, queis præditæ ſunt fœminæ, effici proxime videtur.

Accedentibus annis, cauſis ſupra recenſitis in vaſa ſanguinea agentibus, magis magiſque in annos ſingulos vis cordis et arteriarum infirmatur, et irritabilitas earum obtunditur; venæ ſimul diſtenduntur, atque arteriæ coanguſtantur; unde ictus earum debiliores ac pigriores fiunt, donec tandem propulſioni ſanguinis ab arteriis rigidis et contractis prorſus obſtatur. Sic cuicunque e morborum, belli, et caſuum periculis ſalvum evadere datum

datum eſt, ſenio tamen confectum, fato a natali die omnibus ſortito neceſſe eſt tandem ſuccumbere.

Priuſquam hic cadat eventus, multa in grandævo mutantur, variaque mala diutina ipſi ſunt perpetienda. Imprimis emarceſcit corpus, non ſolum abſumpto parumque renovato adipe, virium ob digerentium atque nutrientium defectum; ſed muſculis ipſis quodammodo tabeſcentibus, per vaſcula eos percurrentia partim deleta, partim contracta: et cum hoc a vaſis rigentibus plurimum pendeat, ratio cur ſerius marcori fœminæ ſunt obnoxiæ apparet. Oſſa perveteribus non modo minuuntur mole, ſed etiam leviora fiunt, quia materies terrea non iis tam prompte ſuppeditatur, quam diſpendium poſtulat aſſiduum. Veruntamen mira, hac ætate, ineſt arteriis, valvuliſque cordis proclivitas ad oſſeam fabricam, aliqua ex parte, adipiſcendam. Nec ineptum eſt cenſere ejuſdem materiei aliquantulum partium corporis cæterarum fabricam, annis extremis, intrare. Certe in ipſo

cerebro

cerebro officula quædam nonnunquam reperta ſunt.

Augentur tendines, decreſcunt muſculi, addenſantur cartilagines, adeo ut ſpinæ vertebræ ſe propius invicem accedunt, et corporis totius altitudo minuitur. Inalgeſcit corpus, præcipue partes membrorum extremæ, ob earum a ſanguinis fonte longinquitatem; quam ob rem quoque crura longe ante truncum gracileſcere obſervantur. Tali ſimul grandiores fiunt, *ædemate* per debilitatem univerſalem occupati. Languet Stomachus; franguntur vires; vacillat infirmus per annos quoſdam, membra donec truncum prorſus ferre recuſent. Crines incaneſcunt et fluunt, nec fluere deſinunt, antequam caput fuerit omnino nudatum. Contrahuntur glandulæ, imprimis eæ quas chylus tranſire ſolet: Res perniciei referta! Senſus quiſque fit hebes, et denique penitus deeſt.

" Sans teeth, ſans eyes, ſans taſte, ſans ev'ry thing."

Hoc aliquatenus explicat, cur optime ſenex acta

ſe puero vel juvene recordatur ; his quoque ideis mox deſerturis memoriam, mentemque vacuam relicturis.

Mutationum harum omnium ratio, ex ea ætati quintæ incidentium ſupra reddita, facilis erit repertu.

Vita jam inclinata malis innumeris acerba redditur : Quippe quæ morbis omnibus queis ætas proxime elapſa tentabatur conflictari cogitur, dum vigore ſimul caret priſtino, et plurimis præterea ſolatiis orbatur.

Grandævo incommoda oriuntur gravia a ventriculo et inteſtinis ſe male habentibus. Capiti etiam periculum imminet e polypis cor occupantibus, e valvulis ejus, vel arteriis in os, aliqua ſaltem ex parte, converſis, e ſanguine cerebrum opprimente, e pedum gangræna, Scrofula, Carcinomate, Calculo, atque Hydrope. Sed nil magis ſenibus eſſe reor formidandum quam Catarrhum (ita dictum) Senilem, ſive frequentiam ejus, ſive diuturnitatem, ſive moleſtiam, ſive vitæ diſcrimen quod affert, ſpectemus : Tuſſi enim importuna,

copiam

copiam muci gravantem, heu fruſtra! emoliente noctes atque dies vexatur, neque inflammationi venam ſecando occurrere ægri debilitas ſinit: Mucus idcirco continuo coacervatur, donec pulmones prægravet, et miſerum jam confectum angens, demum ab ærumnis abſolvat.

Si corporis conditionem in noviſſimo ſtadio cum ea in antecedente conferamus, cauſas, quæ ſeneſcenti morbos infligebant, eaſdem, ſed vi agentes vehementiori, grandævum reperiemus laceſſere: Ideoque ratione et conſuetudine vitæ opus eſſe eadem, diligentius equidem obſervata, ad ſalutem etiam mediocrem conſervandam.

Imprimis, plures ob cauſas ſat evidentes, calor eſt ſedulo colendus. Senis itaque intereſt, cælum ſerenum, amænum, vel etiam calidum, vario, humido, atque frigido mutare: Omni tempore, molli frigida membra ſinu fovere; ſæpius quotidie, modo ne laſſitudinem inducat, ſub dio deambulare; tempeſtate autem perfrigida, vel viribus ad ambulandum parum valentibus, rheda vel lectica vehi; auras matutinas et veſpertinas cate metuere duras,

nec tamen inertiæ domi ſe unquam reddere omnino. Cum balneum, fibras emolliendo, atque exhalationem per cutem eliciendo, auxilium grande pollicetur, in ſolium ſenex quotidie deſcendat. Veſtibus amiciatur nunquam non nitidis. Ætati quoniam ſenili inedia perquam eſt aliena, ter quaterve in die cibum aſſumat; ſed levi, ſimplici, leniter ſtimulanti, exiguo, calido, ac refocillante utatur; ab omni qui ſtomachum vel pinguedine oneraret, vel flatibus diſtenderet, prudenter temperans. Alvum, quæ plerumque contrahitur, (quandoquidem per ventriculi torporem, fruges recentes algidas, et per ejus propenſionem ad acidum creandum, olera affatim non aſſumere licet) medicamentorum ope leniter laxantium ſæpius ſolvere expediet. Somno indulgendum eſt, quo vires, facile fractæ, reficiantur, halitus per cutem foveatur, et adipis aliquantum coacervetur. Neque mero parcat quadrimo, hoc enim generis et nervoſi et ſanguinei conditio poſtulat. Certamina Veneris parum eſſe idonea telorum ſtatus imbellis admoneat.

Animo

Animo interea ſit hilari, atque ſereno, neque negotiis curiſve, nedum perturbationibus deprimentibus aut violentis ſeſe ſinat agitari; et quando res cunque eum premat irritetve adverſa, dulci amicorum colloquio, aut librorum lectione, aut vitæ futuræ ab omni parte beatæ contemplatione ſolanti, mentem extemplo mulcere conetur.

Præceptis ſupra traditis fideliter obſervatis, aliquot per annos cuivis fere ſeni foret copia vitam prorogandi, et mortem tandem aggredientem mitem minimeque formidandam reddendi.

Cæterum antequam huic tentamini finem impono, ne forſan quidam incuriæ, alii arrogantiæ verterent, me longa linea auctorum vel prælectorum omiſiſſe ornare, haud alienum fore duco admonere lectorem, non procul a vero diſtaturum, ſi quod præſtat in hoc opuſculo Profeſſoribus hujus Academiæ almæ, quæ peccant mihimet tribuerit. Nihil itaque exinde laudis aſſumere poſſum, ſed

" Explebo numerum, reddarque tenebris."

FINIS.